

## P r a e f a t i o.

Abhinc tres annos quum *quaestionum historicarum in Cornelium Nepotem* particulam primam ederem, occasione data scribendi alterum specimen subsecuturum esse promiseram. Quod promissum quominus persolverem paene deterritus sum, quum *Rinckii ad Aemilium Probum prolegomena*, *Rothianae vitarum excellentium ducum editioni praefixa*, superiore anno in lucem prodissent, in quibus vir ille ingenio et doctrina ornatus, ut has vitas non a Nepote, sed a Probo, tanquam personato Nepote scriptas esse probaret, in rerum ibi propositarum fidem dedita opera inquisivit atque ad res difficiliores inlustrandas atque enucleandas haud pauca contulit. Verumtamen idem vir quum nimio de hoc libello detrahendi studio abreptus saepius temere calumnietur, tum novam opinionem excogitavit, scriptorem vitarum non ex iis, quos ipse nominasset, auctoribus, Thucydide, Theopompo, aliis, sed ex posterioribus peioris notae sua sumpsisse; quo commento factum est, ut multis locis de huius auctoritate parum recte ac sincere iudicaret, interdum a vero plane aberraret\*). Quae quum ita sint, meam qualiscunque est operam non plane inutilem futuram esse spero, quum etiam post *Rinckii* curas instituto modo, quem viris harum rerum intelligentibus haud improbari intellexi\*\*), ceterarum quoque vitarum fidem explorare pergam.

\*) Conf. in hanc rem meam editionis *Rothianae* censuram in *Museo magistrorum rhenanorum et guestrorum phil.* fasc. II, p. 134 sqq.

\*\*) Conf. *Iahnii Ann. phil. et paedag.* a. 1840, T. XXVIII. p. 445 sq.